



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Epistola Ioan. Climaci Ioannes Ioanni gaudere.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

16 EPISTOLA IOAN. CLIMACI
IOANNES IOANNI
gaudere.

A Accepi conuenientissimam honestissimo tuo
atq; impassibili instituo, mundoq; & humi-
licordi, quam ad nos pauperes & virtutibus ino-
pes scripsisti, venerandam epistolam tuam: imò ve-
rò preceptum ac vires nostras excedentem iussione.
Tuum enim erat reuera, tuum tueq; sancta anima
proprium, nobis rudibus verbo & opere imperitissi-
mis doctrinae atq; correptionis precepta prescribere.
Familiare enim tibi semper fuit, nobis per teipsū
proponere humilitatis exempla. Sed nos, vt id fatea-
mur, quod verissimum est, nisi metus & periculum
esset iugum sanctae obedientiae, quae virtutum omnium
mater est, a nobis excutere, nunquam profectò ea,
quae supra vires nostras sunt, tentare ausi fuisset.
Oportebat enim, o admirabilis pater, conueniensq;
erat, haec te ab illis potius querere, qui ea iam dudū
calluissent. Nos enim in discipulorum adhuc ordine
annumerādi sumus. Quoniam verò Dei veri patres
nostri, veracisq; scientiae magistri, obedientiam diffi-
nunt in ijs rebus, quae supra vires sunt, nihil discer-
nendo obtemperare precipientibus, imbecillitatem
nostram pie obliti, ea quae supra nos sunt audacter
tentare aggressi sumus. Non quidē vt aliquid, quod
tibi profuturum sit, nos dicturos putemus, aut certē
aliud explanaturos, quod ipse longe melius non no-

EPISTOLA IOAN. CLIMACI. 17

ris, quàm nos, ò diuinam sacramq; caput. Mibi enim
 persuasum est (puto autem, quod & prudentium sin-
 gulis mundissimum tuae mentis oculum, ab omni ter-
 rena & tenebrosa purificatum conspersione, libere
 & absq; ullius obicis retardatione diuinam intueri
 lucem, atq; ab ipsa omnino illustrari. Ceterum (vt
 dixi) inobedientiae notam reformidans, & veluti
 metu ad obediendum impulsus timore, simul ac desi-
 derio tuae sanctae iussioni obtemperare institui, vt
 gratus obediens, atq; p̄ctoris optimi inutilis filius,
 exili & admodum tenui sciencia meae graciliq; obla-
 tione solo atramento simpliciter viuentia eloquia
 adhibens. Tibi verò iam relinquens, ò magistro-
 rum summe & congregationis princeps, ista & or-
 nare & claris differere, atque ea quae desunt im-
 plere, tanquam seruatori spiritalis legis. Hunc ta-
 men sanè conatum nostrum non ideo misimus ad te,
 tanquam tibi futurum emolumento. Absit id peni-
 tus (hoc enim esset extrema dementia, cum ipse in
 Christo idoneus sis non solum alios, verum etiam et
 hospis moribus sacris & doctrinis erudire) sed illi
 vocata à Deo congregationi, quae vna vobiscum abs-
 te, doctore optimè, instituitur transmissimus. Quo-
 rum precibus, quasi quibusdam spei intellectualibus
 manibus imperitiae mole leuatus, iamq; calami ve-
 lum explicans, atque optimo gubernatori nostro
 CHRISTO verbi gubernacula promittens, vo-
 tis omnibus fretus iussione tua, huius ad illos sermo-
 nis iam initium facio. Obsecro autem omnes, quo-
 rum

runt in manus liber iste venerit, vt si quid in illo vtile fortassis inuenerint, id optimi praeceptoris nostri esse non ingr. atè intelligant. Nobis verò solius contentus remunerationem à Deo donari intentissima oratione deprecant. Non his quae dicuntur intendentes. Sunt enim reuera vilissima, atq; omni ignorantia & simplicitate plena. Sed propositum & alacritatem, vt illius ex Euangelio viduae suscipientes. Neq; enim numero & laborum multitudini Deus mercedem reddit, sed alacri proposito atq; feruentissima voluntati.

IN SCALAM IOAN. CLIMACI,
Carmen MICHAELIS Iffeltij
Amorfortij.

Quisquis ad aethereas ascendere niteris arces,
Hanc scalam assidua volue reuolue manu.
Quamuis immensum sit chasma, profundaq; abyssus,
Imas quae terras inter & astra iacet,
Terdenis tamen hanc gradibus superare licebit.
Quam breue tam longum gratis fecit iter?
In Synai data lex. Synaiq; è vertice legis
Vtilis interpretis prodijt ista κλιμαξ.
Quisquis ad hunc montem Climacum lecturus adibis:
Sis monitus; nudo non licet absq; pede.
Si secus accedas, nil hic mirabile cernes,
Omnia fordebunt vt malè culta tibi.
Solue prius soleas, dabiturq; videre Iehouam,
Ardentemq; rubum, multaq; digna Deo.
Exue terrenos affectus, nubila mentis
Discute, purga animum qui legis istud opus.
Inueniesq; chrias tot quot tibi verba sonabunt
Tot sacros flores, quot tulit Hybla thymos